



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Servitus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

A Nulari, qui minimo proximus est, nomen dubio procul inditum ab anulo: quo digitus is insigniri solitus. Cur id institutum, varix sunt authorum opiniones, ex quibus nos pluribus aliis omittis quas in Gemmarum commentario recensuimus, eas quæ potiores videbantur afferemus.

COR. CAP. XIX.

Illud autem primum omnium manifestum est, anularem digitum cordis esse hieroglyphicum: eaque de causa institutum ab Aegyptiis, ut is anulo tamquam corona honestaretur. Eundem sacerdotem cum circa deorum aras operabantur, confectis odoribus illinebant, ejusmodi; honores illi ea de causa haberi solitos ajunt: quod dissectionum periti nervulorum quendam à corde natum, per dorsum ad cor tendere, & in eo definire compertum habuere. Sane solebant in ejusmodi anulis eorum etiam imagines fieri, quorum memoriam colerent atque observarent, ii qui eas gerebant, ita nos sibi præcipue esse cordi, cum quadam etiam ambitione, omnibus ostentantes. Unde Cicero libro de Finibus, Epicuri studiosus memorans, *Epicuri imaginem, inquit, non modo in tabulis, sed etiam in poculis & in anellis habebant.*

CONJUGIUM. CAP. XX.

Hic porro digitus anulo insignis, conjugii est hieroglyphicum, eaque de causa sunt qui eum Pronubum appellant. Hinc Major, vincula jugalia, posuit pro connubio. Et in Divinis literis inditum sponsalitiis anulum, arrhabonis indicium, nuptiarum causa legimus, eumque morem & institutum omnes Christianorum conventus semper obtinuerunt. Unde Septimius Florens digitum hunc & pronubum appellavit, & anulum quoque pronubum, eo loco: *Nam & mulieres parcissima patrum sobrietate aurum minime noverant, uno excepto digito quem anulo pronubo sponsu oppignorasset.*

VINCULUM. CAP. XXI.

Jugalia illa vincula monent, ut qua de causa anulus inter alia significata: vinculi etiam fuerit hieroglyphicum, aperiamus. Ea sic fertur: *Promethea olim Saturni lege perpetuis vinculis ab Jove damnata, ea mox conditione liberata, ut inde anulum lapide & ferro compactum gestaret, ne omnino exognatio un-* *Hoc à Luciano in dialogis Deorum. Jovis indignatio un-*
de orta.
lutus panna videretur: indeque anulorum usum propagatum. Indignationem autem Jovis inde ortam ajunt, quod Prometheus Parcarum sortem de Thetidis filio, qui patre major & clarior futurus esset, patefecisset, atque ita Jovem ab ejus congressu deterruisset, ne se præstantior filius nasceretur. Sed enim, cum ejusmodi legis silentium in Jovis perniciem evasurum esset, fabulorum desiderio prudentiam, qui velint Jovem pro imperio & autoritate sibi conservata, Prometheus ita male multare voluisse.

SERVITUS. CAP. XXII.

Quod vero anulus sit servitutis hieroglyphicum, tam maritale signum attestatur, quod additam esse viro sponsam indicat, quam Pythagora symbolum exponit, dum nos arcum anulum gestare vetat quod ex divi Hieronymi interpretatione, non esse anxie vivendum admonet: quippe cavendum, ne nos in eam servitutem conjiciamus, quæ dura sit, & incommoda. Habet vero secum vinculi significatum anulus, quod tota ejus nominis originatio, quantum ad etymon attinet, ab *Anuli etymon.*
an particula desumitur, quæ Circum significat, atque ideo vinculum aut compedum manicarumve oppressionem. Essent vero super anulo plura commentanda, sed hic de anulari digito, non gestamine vel ornamento scribere institutum est meum: quare longe plura in commentarium id rejicimus, quo insignia pleraque ordine locoque suo interpretati sumus.

VENIA. CAP. XXIII.

Petitiam à diis sermonis veniam, cum obsecratione, ne nostri memores delicti, ulcisci cogitent, eo exprimebant hieroglyphico, ut proximum à minimo digitum ad aurem dexteram referrent, quod tacto prius ore fieri institutum. Est enim locus ille Nemeseos, quam gestu hoc, ut in ore ostentum conciliari, crediderunt.